patefacta eſt: ut nunquam majoribus, nunquam illuſtrioribus argu-
mentis aut illuſtrata eſſe, aut impoſterum illuſtrari poſſe videatur.
Quis enim ſperaſſet: tot graviſſimis bellis implicatam, et miſerrimè
jamjam laceratam, imò et tot Chriſtiani Sanguinis fluminibus paſſim
inundatam Europam beatiſſimis tranquillitatis foederibus componi
poſſe? Neqꝫ et ullius quidem hominis vota, fortiter coelum licet pul-
ſarent, ad tam irati Numinis ſedem pervenire poſſe, credita fuiſ-
ſent. Tot difficultates quippe in nupero bello nectebantur: ut, ſive
ipſi inter ſe pugnantes reſpicerentur, ſive contumaciſſimi belli cau-
ſae aeſtimarentur, pauxillum, imò propè nihil ſpei ſupereſſe videre-
tur: quod animos noſtros in anxia Pacis expectatione confirmaſſet [marref].
[...]nus nimirum uni facilè conciliari poteſt. Proh verò DEUM
immortalem! quot Regum, quot Principum, quot mutuò confligentium
copiarum concurſus, quantus ardor in nupero illo Gallo-Germanico
et Sueco-Danico Bello exiſtebat? Hic enim Gallus et Caeſar,
illic Gallus et Hiſpanus, iſtic Gallus et Belgae terrâ mariqꝫ,
alibi Danus et Suecus, [Suecus] et Elector Brandenburgicus alibi, Lune-
burgici alibi Duces et Suecus, Anglus quoqꝫ et Belgae mari
ad tempus acerrimè confligebant. Quis ergò tot orbis Proce-
res potentes, tot ferventes Reges ac Principes, ſine partis
alterius interitu in amica iterum coituros eſſe foedera, ſibi perſua-
ſiſſet? Si, incendiò aliquò ſubortò, una tantummodò aut altera do-
mus igne infeſtetur: reſtinguendi ſpes ſupereſt. Atenim ſi furibun-
dus Vulcanus undiqꝫ et undiqꝫ totam urbem flammis implicet, tanta
homines deſperatio invadit: ut ne admovere quidem manus amplius
ſuſtineant, ſed non niſi gemitibus, lacrumis, ejulatibus omnia impleant.
Idem Germaniae noſtrae accidebat: poſteaquam illam gravia et crudelia
bella, non uni regno, non uni principatui, non uni Reipublicae,